

DISTINCTIO XVI

Secundae particulae principalis tractatus de temporali Spiritus Sancti processione non obscura divisio atque praesentis distinctionis clara et aperta subdivisio, in qua quidem modus missionis Spiritus Sancti incipit patefieri.

NUNC DE SPIRITUS SANCTO etc. Postquam magister determinavit de temporalis missionis principio. Hic incipit determinare de eiusdem missionis modo, et dividitur in duas partes, secundum quod dupliciter mittitur Spiritus Sanctus, scilicet visibiliter et invisibiliter. Primo igitur hic determinatur de Spiritus Sancti missione visibili. Secundo de invisibili ibi, 'iam nunc accedamus'. Prima in duas, quia primo praemissa distinctione de visibili et invisibili missione, magister prosequitur primum membrum, scilicet visibilem missionem. Secundo, inter missionem filii et missionem Spiritus Sancti facit comparisonem ibi, 'sed prius quaerendum est'. Et haec dividitur in tres, quia primo ostendit quod Spiritus Sanctus ex hoc, quod mittitur non debet dici minor patri. Secundo, quod filius secundum quod homo est minor tota trinitate. Et tertio ostendit quod Deus pater etiam considerata deitate maior est filio ex donantis auctoritate. Secunda ibi, 'notandum autem, quod filius'. Tertia ibi, 'Hylarius autem'. Circa istam distinctionem quaero.

Quaestio I

An species, quibus nobis Spiritus Sanctus apparuit, fuerint reales?

Cum visibilis missio nil aliud sit, quam divinae personae ad hominem quempiam destinatio sub tali signo visibili, quo nobis manifestatur, vel manifestari potest emanatio personae quae mittitur, et sanctitas hominis ad quem mittitur. Planum profecto erit his duabus dumtaxat personis, filio nempe et Spiritui Sancto, quos equidem solum divina protestatur Scriptura visibiliter apparuisse, missionem passivam convenire. Nec tamen propter hoc persona missa minor esse perhibetur persona mittente, nisi ratione naturae assumpta in unitatem suppositi. Quo fit, ut species ille, quibus divina emanatio, hominisque sanctificatio nobis innotescit, non admodum sunt nobis manifestae, ut pote quae ministerio Angelorum fuerint fabricatae.

UTRUM SPECIES, in quibus Spiritus Sanctus temporaliter missus apparuit, fuerint imaginariae vel vere, reales seu corporales? Et videtur quod fuerint imaginariae, quia secundum Augustinum 2. De Trinitate¹, missio visibilis propter hoc sit, ut corda hominum commota exterioribus visis convertantur secundum intellectum ad occultam aeternitatem, sed a phantasmatibus et imaginariis speciebus movetur intellectus, igitur etc. CONTRA, in Evangelio dicitur quod columba, in qua apparuit Spiritus Sanctus, descendit corporali specie, ergo habuit verum corpus et non fantasticum seu imaginarium. Hic quattuor sunt videnda. Primo, utrum missio visibilis conveniat alicui divinae personae? Secundo, utrum persona visibiliter missa secundum quod apparet in corporali specie, sit minor persona quae mittit eam? Tertio, de eo quod quaeritur. Quarto, utrum tales species formentur misterio angelorum?

QUANTUM AD PRIMUM, utrum missio visibilis conveniat alicui divinae personae, est advertendum quod missio praedicta sic describi potest. Missio visibilis est divinae personae ad aliquem hominem destinatio sub tali visibili signo, quo manifestatur vel manifestari potest

¹Cap. 5 tom. 3

aliquo modo emanatio personae, quae mittitur et sanctitas hominis ad quem mittitur. Ex quibus patet, quod missio visibilis tria includit, scilicet divinae personae aeternam emanationem, animae devotae internam sanctificationem et utriusque, scilicet emanationis et sanctificationis externam apparitionem seu manifestationem, et hoc de facto, vel secundum aptitudinem, quia, licet tali signo haec duo non semper manifestentur, tamen huiusmodi signum est aptum natum ad hoc, ut mediante ipso haec manifestentur. EX HIS ETIAM apparet quid dicendum sit ad illud, quod quaeritur in isto articulo. Nam patri non potest competere visibilis missio, quia cui repugnat invisibilis missio, eidem repugnat visibilis missio. Sed patri repugnat invisibilis missio, ut patet ex praecedentibus, ergo etc. Maior patet, quia cui repugnat inclusum, eidem repugnat includens. Sed missio visibilis includit missionem invisibilem, sicut ex iam dictis patet. 2. Praeterea, cui repugnat emanatio, ei non competit visibilis missio. Illa patet, quia cui repugnant emanatio, eidem repugnat potestatis delegatio passiva seu communicatio, quae necessaria est in misso vel legato. Sed patri repugnat emanatio, cum non habeat personam origine priorem se, a qua possit emanare. Unde, si quandoque legitur quod persona patris manifestaverit se in aliquo sensibili signo, hoc non debet dici missio, sed potius apparitio, quia quamvis ei, qui habet auctoritatem autenticam a se, et non ab alio, repugnat mitti vel legari, sibi tamen non repugnat apparere vel manifestari. DE FILIO AUTEM et Spiritu Sancto planum est in Scripturis quod eis competat missio visibilis. De filio enim dicit Apostolus: ‘Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret’. Et Baruch dicit de Filio dei: ‘Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est’. Etiam Spiritus Sanctus in sancto Evangelio quater legitur missus visibiliter, scilicet in columbae specie circa Christi baptismum, in nube circa Christi transfigurationem, in statu post Christi resurrectionem, cum insufflavit in discipulos dicens: ‘Accipite Spiritum Sanctum’ etc., et in linguis igneis post CHRISTI ascensionem. Ratio autem illarum visibilium apparitionum ex causa finali potest assignari. Apparuit enim circa baptismum in specie colmbae in signum innocentiae, quam debemus recipere, cum baptizabatur, qui erat agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Circa transfigurationem apparuit in similitudine nubis lucidae, ut signum haberemus future gloriae,

[174]

quae revelabitur in nobis, dona enim gratiae et gloriae appropriatur Spiritui Sancto. Post resurrectionem autem, cum Christus dedit Apostolis potestatem remittendi peccata, missus est eis Spiritus Sanctus in specie venti seu flatus, in signum quod Apostoli tantae potentiae receperunt ibi virtutem, qua omnia peccata nostra possent exsufflare. Unde dictum est eis a Christo: ‘Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt’. Sed post ascensionem missus est Apostolis in linguis igneis, ut ex visibili signo appareret, quod Apostoli esse debebant verbis proflui et caritate fervidi, quia in omnem terram debebat exire sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. SED FORTE CONTRA illam conclusionem dicitur sic. Illud, quod omnino est invisibile, hoc non potest visibiliter apparere sine fictione. Sed Spiritus Sancti persona est simpliciter invisibilis, iuxta illud quod dicitur: ‘Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest’. Et Spiritui Sancto non convenit aliqua fictio, cum ipse sit Spiritus veritatis, ut dicitur in Evangeliiis: ‘et Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum’, ut dicitur. 2. Praeterea, si Spiritus Sanctus esset missus in aliqua visibili creatura, tunc praeter modos communes, quibus Deus est in omni creatura per essentiam, potentiam et praesentiam, Spiritus Sanctus esset in illa creatura, in qua mitteretur. Hoc autem esset vel per gratiae infusionem, vel per illius creaturae in unitatem suppositi assumptionem vel per repraesentationem, puta quod esset in re, sicut in signo. Non primo modo, quia talis creatura, cum non sit rationalis, non est capax gratiae. Nec secundo modo, quia tunc creatura irrationalis esset assumpta a divino supposito, quod nullus sanae

mentis poneret. Nec tertio modo, quia vel esset in ea sicut in signo naturali vel universali, et tunc mitteretur in omni creatura, quia in omni creatura reperitur vestigium creatoris, ut patuit superius distinctione 1, vel sicut in signo gratuito, et tunc in omni sacramento mitteretur Spiritus Sanctus, cum sacramentum sit signum gratuitum. RESPONDEO, ad primum dicendum quod aliquid visibiliter apparere potest intelligi dupliciter. Uno modo formaliter denominatione intrinseca. Alio modo denominative solum denominatione extrinseca, sicut causa quandoque denominatur ab effectu. Primo modo maior est vera, sed non secundo modo, unde Spiritus Sanctus dicitur visibiliter apparere, non quod ipse videatur, sed quia aliquid aliud videtur, per cuius contemplationem nos manuducimur in cognitionem aliqualem emanationis Spiritus Sancti et manifestationem sanctitatis illius, ad quem mittitur, ergo etc. Ad secundum dicendum quod apparet ibi sicut in signo. Ad probationem dicendum quod Deus tanquam in signo multipliciter potest apparere. Primo, sicut in signo naturali, et sic relucet in omni creatura tanquam in vestigio. Secundo, sicut in signo revelativo seu illuminativo, et sic apparuit patribus in Veteri Testamento. Tertio, sicut in signo gratuito, et hoc tripliciter, quia vel illud signum nullo modo est causa gratiae, licet ipsum consequatur gratia, et tale signum fuit circumcisio et aliqua sacramenta veteris legis. Vel aliquo modo est causa gratiae, et tale signum est sacramentum novae legis, quod aliquo modo efficit quod figura, ut patet per magistrum. Vel huiusmodi signum praesupponit gratiam, quam demonstrat seu ostendit, et tale est signum, quo fieri dicitur personae divinae visibilis missio.

QUANTUM ad secundum articulum, utrum persona visibiliter missa secundum quod apparet in corporali specie sit minor persona, quae mittit eam? Distinguendum est de creatura, in qua apparet persona. Vel quia illa creatura est assumpta in unitatem suppositi divini apparentis in ea, vel non. Si sic, tunc pono conclusionem affirmativam, quia quodcumque duae naturae sunt eiusdem suppositi, illud, quod per se praedicatur de una, saltem ex consequenti praedicatur de altera, maxime si illae duae naturae in terminis concretis proferuntur, quia ut sic implicat suppositum, quod est utrique commune, sed planum est quod natura assumpta est minor persona divina, quae ipsam non assumpsit, ergo propter communicationem idiomatum persona assumens dicitur minor persona non assumente, immo filius Dei, ut sic dicitur minor seipso, iuxta quod ait Apostolus: 'Exinanivit semetipsum formam servi accipiens'. SED FORTE dicitur quod illud sit contra Hylarium in libro De Trinitate, ubi ait quod 'pater est maior filio, filius tamen non est minor patre'. DICENDUM AD HOC quod illud non est contra illud propositum, quia Hylarius loquitur ibi de filio Dei secundum se, et non quantum ad assumptam naturam. SED SIC DICENDO oritur duplex difficultas, quia tunc dictum Hylarii esset contra dictum Augustini, quia stando praecise in divina natura, filius est aequalis patri secundum dicta Beati Augustini. Item cum maius relative dicatur respectu minoris, ergo maior dicitur minore maior, sed unum relativum non potest poni sine reliquo, ergo dicendo contra Hylarium non videtur, quod pater possit dici maior filio, nisi filius dicatur minor patre. FUERUNT IGITUR quidam, qui hanc difficultatem ex dictis Hylarii resultantem evadere cupientes dixerunt, quod quia in patre sunt plures relationes quam in filio, accipiendo relationem negative, puta innascibilitas est in patre, cui non correspondet aliqua relatio in filio, ideo pater dicitur maior filio, quamvis ex hoc filius non dicatur minor patre. SED ISTI DEFICIUNT hic tripliciter. Primo, quia cum relatio nullam perfectionem dicat de se, ideo propter relationum pluralitatem non potest aliquid maius dici. Secundo, quia sic dicendo, filius esset maior Spiritui Sancto, quod tamen nullus ponit. Probatio consequentiae, quia Spiritus Sanctus habet solam unam relationem, puta spirationem passivam, sed filius habet plures, scilicet filiationem, qua refertur ad patrem et commune spirationem, seu activam spirationem, qua refertur ad Spiritum Sanctum. Tertio deficiunt, quia cuius positio est causa, quare aliquid dicatur maius, eiusdem negatio erit causa, quare aliquid dicatur minus. Igitur, si pluralitas relationum in patre est causa quare pater sit maior filio, negatio illius pluralitas seu paucitas relationum erit causa quare filius sit minor

patre, nisi aliud dicatur. ET IDEO POSSET dici quod in illo proposito maius est idem quod dignius, ubicunque ergo conditio dantis spectat ad dignitatem, ita tamen quod conditio recipientis non spectat ad aliquam indignitatem, sed ad personalem proprietatem, tunc ille, qui dat ita dicitur maior recipiente, quod tamen recipiens non debet dici minor dante, maxime si recipiens recipit omnem perfectionem a dante, et eandem naturam, quae est in dante; sed sic est in proposito inter patrem et filium, ergo etc. Unde non est differentia inter patrem et filium quantum ad perfectionem habitam, quia omnem perfectionem, quam habet pater, habet filius. Sed solum differunt in modo habendi, quia filius habet a patre, sed pater non habet a filio, sed a seipso; et illa etiam videtur esse intentio Hylarii, quia ibidem sic ait Hylarius. Maior itaque donans, sed non minor filius, cui unum esse donator, cui tantum donat esse, quantus est ipse qui donat. Filius igitur est aequalis patri in re habita, quamvis pater dicatur maior filio in modo habendi. Et hoc de prima conclusione secundi articuli. CONCLUSIO SECUNDA. Si autem creatura, in qua apparet persona divina, non est assumpta in unitatem suppositi a tali persona, tunc illa persona non est minor ceteris personis divinis propter

[175]

hoc, quod in tali creatura appareat, quia ea, quae distincte subsistunt, non communicant sibi mutuo sua idiomata. Sed cum persona divina apparet in aliqua creatura non assumendo eam, tunc persona divina et illa creatura distincte subsistunt, ergo non communicant sibi mutuo sua idiomata, et per consequens non potest inferri quod illa persona sit minor ceteris divinis personis propter hoc, quod talis creatura minor est eis. Et illa est intentio Beati Augustini 2. De Trinitate², ubi ait: ‘nusquam scriptum esse quod Deus pater sit maior Spiritu Sancto, vel Spiritus Sanctus minor Deo patre’.

QUANTUM ad tertium articulum, utrum species, in quibus apparuit Spiritus Sanctus temporaliter missus, fuerint imaginariae vel vere reales seu corporales? Est advertendum quod de aliquibus speciebus, in quibus apparuit Spiritus Sanctus, est magnum dubium, utrum fuerint reales, vel fantasticae, seu imaginariae; unde de linguis, in quibus apparuit in die penthecostes. Augustinus movet illam quaestionem in propria forma 2. De Trinitate³. Et propter sui difficultatem dimittit eam insolutam, unde ait sic: quanquam de illo igne disceptare potest utrum oculis an spiritu visus sit, et causam huius dubitationis trahit Augustinus ex libro actuum Apostolorum, ubi enim nos habemus, ‘apparuerunt illis dispartitae linguae’; alia translatio, quam allegat Augustinus, habet ‘Vise sunt eis divisae linguae’. Et ideo post praedicta subdit Augustinus: ‘Non enim viderunt linguas velut ignem, sed visae sunt eis non enim sub eadem significatione solemus dicere, visum est mihi, qua dicimus vidi. Et in illis quidem spiritualibus visis imaginum corporalium solet dici et visum est mihi et vidi. In illis vero, quae per expressam corporalem speciem oculis demonstrantur, non solet dici, visum est mihi, sed vidi’. Et quamvis Beatus Augustinus neutram partem hic afferat determinate, sunt tamen quidam, qui dicunt quod illae linguae igneae non fuerunt imaginariae, sed reales. Quia, ut dicunt, veritas non debet fictionibus manifestari, nam in operibus veritatis nulla debet esse fictio, sed apparitiones fantasticae sunt quaedam fictions. 2. Praeterea, illud, quod est in imaginatione unius, non apparet alteri, sed illae linguae non solum apparuerunt Apostolis, quibus in illo signo mittebatur Spiritus Sanctus, sed et pluribus aliis apparuerunt, qui cum Apostolis in illa domo fuerunt. Sed quid sit hic tenendum, determinate afferere non praesumo, maxime cum tantus doctor sicut erat Augustinus neutram partem determinate afferuerit.

²Cap. 6 tom. 3

³Cap. 6 tom. 3

SED NEC RATIONES illorum concludunt, igitur ad primum dicendum quod minor non est vera, quia multi prophetae receperunt veritatem suae prophetiae per species fantasticas et imaginarias, in qua tamen prophetia nulla fuit fictio falsitatis. Ad secundum dicendum quod illud signum virtute divina vel angelica poterat multiplicari in fantasiis omnium illorum, quibus apparuerunt illae linguae. De columba vero, in qua apparuit Spiritus Sanctus baptizato Domino, dicit Beatus Augustinus libro superius allegato, ‘non esse dubium quin fuerit verum corpus reale, cum Scriptura eam corporali specie afferat descendisse’.

QUANTUM AD QUARTUM articulum, utrum tales species, in quibus Spiritus Sanctus missus est, formentur ministerio Angelorum? Dicendum quod, quia Deus amministrat corporalem creaturam mediante spirituali, lex enim deitatis est infima per media reducere in suprema, ut patet per Dionisium in De angelica Hierarchia. Ideo congrue dici potest omnes illas species, in quibus modo praedicto divinae personae apparent, ita tamen, quod non sint assumptae in unitatem suppositi divini, esse formatas ministerio angelorum. SI AUTEM aliqua illarum rerum assumeretur a divino supposito, tunc ratione suae dignitatis sine aliquo creato agente medio formaretur immediate per ipsum Deum, sicut factum fuisse creditur de humanitate Domini nostri Iesu Christi. FORTE DICETUR contra primam conclusionem quod cum Angelus format aliquod corpus, tunc ipse angelus apparet in tali formato corpore et ideo, si angelus formaret praedictas species, tunc in talibus speciebus non fieret missio divinae personae, sed potius angeli qui in talibus speciebus appareret. RESPONDEO quod hoc non sequitur, quia licet angelus habeat causalitatem super talis rei formatione, non tamen habet causalitatem super dono gratuito, quod a solo Deo intus formatur et efficitur in mente illius, ad quem dicitur fieri huiusmodi missio, quod quidem donum significatur per speciem extrinsecus ministerialiter formatam per angelum, et ideo licet angelus formet huiusmodi corpus mediante motu locali facto in aere et ceteris elementis ad hoc congruentibus, tamen si donum significatum huiusmodi corpore seu specie nullo modo subest potestati angelicae, sed tantummodo dependet a divina potestate, tunc non debet dici apparere vel mitti angelus, sed potius persona divina, cuius appropriatum respicit huiusmodi donum, puta si illud donum se habet per modum sapientiae, tunc mittitur filius, cuius appropriatum est sapientia. Si per modum amoris vel caritas, tunc mittitur Spiritus Sanctus, cui bonitas appropriatur in divinis. Si autem tale donum respicit singulariter potestatem vel maiestatem divinam, tunc quia potestas appropriatur patri, potest dici quod in specie tunc apparente pater apparet, tamen ex hoc non debet inferri quod pater sit missus, quia apparitio in plus se habet, quam missio. Quia, sicut patet ex precedentibus superius, personae non productae repugnat mitti, quamvis sibi non repugnet apparere, apparuit enim pater in voce dicente: ‘Hic est filius meus dilectus’, tamen ex hoc non debet dici missus. AD ARGUMENTA principalia patet, quia neutrum est contra ea, quae hic dicta sunt.